

plentorem, et plenissimam. Arg. extravag. *Antiquorum*, de Pœnitentiis et Remissionibus, inter communes, in qua dicitur: « Non solum plenam et largiorem, imo plenissimam omnium suorum concedimus veniam delictorum. » At vero quoad effectum nullum inter eas apparet discrimen, cum non solum indulgentia plenissima, sed etiam plenior et plena in rite dispositis et confessis conferat remissionem omnium pœnarum pro peccatis quoad culpam jam remissis debitam; ita enim docet modernus stylus curiæ Romanæ plurimorum jam annorum usu, et sapientium iudicio et auctoritate roboratus; nempe, quod per indulgentiam plenariam, idipsum designetur quod per plenissimam, ita ut quoties datur indulgentia plenaria, toties censeatur dari et fieri relaxatio seu remissio omnium pœnarum quas quis in purgatorio luere deberet. Sic testantur Sotus in 4, dist. 21, qu. 2, art. 1; Suarez, tom. IV, disput. 50, sect. 2; Corduba, quæst. 11; Kazenberger, loc. cit., num. 7; Bonacina, Toletus, Lugo, Bellarminus, alique prope omnes apud Gobat, tract. 4 de Indulgent., part. II, cap. II, num. 273. Imo Pontifex, in citat. extravag. *Antiquorum*, per illum loquendi modum nihil aliud intelligere voluit quam concedere « Indulgentiam adeo plenam, prout Clavium potestas se extendit; » sicuti ipsummet papam interpretatum fuisse in consistorio testatur glossa ibidem, verb. *Plenissimam*.

(10. Potest tamen, si non quoad effectum, saltem quoad specialia privilegia et annexas facultates, cum Marcantio, tom. III Tribunalis, tract. 5, tit. 2, q. 4; Mastrio, in Theologia morali, disp. 21, n. 21; Reiffenstuel in Theologia morali, tract. 12, dist. 3, qu. 2, num. 16 et aliis, sequens inter dictas indulgentias notari discrimen, ut indulgentia dicatur plena quando tota pœna pro peccatis jam remissis debita remittitur, plenior quando potestas extraordinaria absolvendi a casibus reservatis superadditur, plenissima quando ultra hæc, etiam dispensationes in votis et hujusmodi vineulis conceduntur, prout fieri solet in jubilæo, de quo procedit cit. extravag. *Antiquorum*, cum ibi, ut patet, sit sermo de jubilæo Anni Sancti.

(11. Indulgentia concessa instar jubilæi, vel per modum jubilæi, vel in forma jubilæi, nihil aliud importat quam indulgentiam plenariam sine tamen annexa facultate absolvendi a reservatis, commutandi vota, et hujusmodi, quæ alias conceditur in jubilæo: unde indulgentia instar jubilæi, in forma jubilæi, vel per modum jubilæi, non distinguitur ab indulgentia plenaria, ut pluribus efficacibus rationibus probat Gobat in suo Quinario, tract. de Jubilæo, c. 7, tr. 4, de Indulgent. par. II, cap. 5; et sic tenent Suarez, tom. V, in III part., disp. 7, sect. 5, n. 7; Viva, de Jubilæo, q. 1, art. 1; Lessius in Actuar. verb. *Indulgentia*, casu 3; Kazenberger, l. c., n. 2; La Croix, lib. VI, par. VI, n. 1380; Navarrus, Diana, Cotonius, et alii. Unde summi pontifices ideo aliquam indulgentiam plenariam vocant instar jubilæi, in

forma jubilæi, vel per modum jubilæi, ut ostendant majorem, non effectus, sed affectus et causæ abundantiam; atque ut in fidelibus majorem lucrandæ indulgentiæ curam, majoremque ex ea consolationem excitent.

Illud insuper accedit, a Clemente VIII aliisque aliorum pontificum decretis abrogatas fuisse indulgentias in forma jubilæi concessas. Quare quicumque sibi facultatem asserit indulgentiam aliquam publicandi in forma Jubilæi, debet omnino exhibere concessionis litteras, enuntiatam formulam præferentes, ac insuper ostendere, datas eas fuisse post pontificatum Clementis VIII, et post alia decreta ejusmodi gratias abrogantia. Ita egregie Benedict. XIV, in suo tract. de Synodo Diœcesana lib. XIII, cap. 18, n. 9. Videantur hac de re P. Theodorus in suo tract. de Indulgent. part. II, cap. 4, § 2; et P. Minderer in suo tractatu pariter de Indulgent. part. I, confer. 4, quæst. 10, num. 130, et in tract. de Jubilæo confer. 1, § 2, casu 1, cum auctoribus ibidem citatis.

(12. Indulgentia partialis est illa quæ remittit solum partem pœnæ temporalis peccatis quoad culpam jam remissis debitæ. *Est in re communis*. (13. Indulgentia partialis, alia vocatur *Quarena*, *Quadragesima*, quæ significant indulgentiam 40 dierum, id est remissionem tantæ pœnæ quanta fuisset remissa ob pœnitentiam quadragesima dierum olim ab Ecclesia pro certis peccatis in Pœnitentialibus canonibus statutam: alia vocatur *Septena*, per quam significatur indulgentia septem annorum, seu remissio tantæ pœnæ quanta fuisset remissa ob pœnitentiam septem annorum. Alia vocatur *Carena*, quæ secundum multos est indulgentia utramque supradictam complectens, ita ut sit remissio tantæ pœnæ quanta fuisset remissa ob pœnitentiam quadragesima dierum in pane et aqua peractam, et per aliam pœnitentiam septem annorum subsequentem. Ita Tannerus tom. IV, disp. 6, dub. 8, num. 99; Suarez tom. IV disp. 50, sect. 5, num. 14; Bonac. disp. 6, quæst. 1, punct. 2. Reiffenstuel in Theolog. morali, tract. 12, dist. 3, q. 2, n. 20, ubi asserit ita sentire alios magis communiter, et ita videtur nomen *Carenæ* accipi in cap. *Accusasti* 8 de Accusationibus, ibi: « Quadragesima dies in pane et aqua (quod *Carena* vocatur) cum septem sequentibus annis pœnitens. » Alii tamen per *Carenam* intelligunt pœnitentiam agendam solum per 40 dies in pane et aqua, et ideo dicebatur *Carena*, quia afferebat carentiam ciborum et consortii humani. Ita Glossa in cit. cap. *Accusasti*, verb. *Carena*, ubi sic habet: « *Carena* vulgare est Lombardorum, et dicitur a carentia hominum, quia tales recluduntur solitarii per quadragesima dies ad agendum pœnitentiam: » Layman lib. V tract. 7 cap. 3. La Croix loc. cit. numer. 1381; Kazenberger loco cit. num. 7, et alii.

(14. Alia vocatur *centum dierum*, *centum annorum*, *mille annorum*, *centum mille annorum*, *biscentum mille*, *tercentum mille annorum*, et hujusmodi, per quam non est intel-

ligendum quod totidem dies, vel anni pœnæ luendæ in Purgatorio remittantur, seu mora tanti temporis futura in Purgatorio relaxetur, cum non sit verisimile quod Purgatorium duraturum sit ad biscentum mille seu trecentum mille annos, pro quibus indulgentia aliquando conceditur, sed per similem indulgentiam debet intelligi quod per ipsam remittatur tanta pœna quanta remitteretur virtute illius pœnitentiæ per canones Pœnitentiales in jure canonico post decretum Gratiani impressos statuta, si ipsa per tot dies vel annos in hoc mundo perageretur. Sic Mastrius in Theologia morali, dis. 23, q. 2, art. 2; Gobat tract. 4, de Indulgent. par. II, cap. 3 n. 283; Layman lib. V, tr. 8, c. 3; Reiffenstuel loc. c. n. 19; La Croix loc. cit. num. 1381 cum Bellarmin, Suarez, et aliis; Kazenberger loc. cit. n. 10 ubi testatur de communi. Has tamen indulgentias sublestæ esse fidei ob suos millenarios annos affirmat P. Minderer in suo tract. de Indulgent. part. II Conf. 8, num. 501; Sotus in 4 sent. dist. 21 q. 2 art. 1 asserere non dubitavit fuisse commenta quæstorum. Estius in 4 sent. dist. 20 § 10 aperte ait confictas commentitiasque esse ac nullatenus S. Sedi tribuendas; ven. card. Thomasius, tom. VII Operum, incredibiles ac plane improbables esse concludit. Vide Benedict. XIV lib. XIII de Synodo c. 18 n. 8 et P. Minderer citatum, par. I Conf. 4 quæst. 4 num. 213, et Confer. 11 n. 809.

(15. Alia vocatur indulgentia tertiæ aut quartæ partis peccatorum, et hæc est remissio tantæ pœnæ quanta persolvi debuisset hic, vel in Purgatorio pro tertiâ vel quarta parte peccatorum jam remissorum. Barbosa de Offic. et potest. episcop. alleg. 88 num. 4, cum multis ibi citatis; Sporer. loc. cit. num. 6 et alii passim (92).

(16. Quando cum indulgentia plenaria reperitur concessa etiam alia partialis, tunc debet intelligi, vel quod fuerint diversi indulgentiarum largitores, ita ut unus concesserit indulgentiam plenariam et alter partialem; aut si sit unus solus concedens simul utramque indulgentiam, illos dies vel annos indulgentiæ partialis additos indulgentiæ plenariæ ad hunc finem concedi ut possint per modum suffragii aliis applicari, quod utrumque docet Suarez tom. IV, disp. 5 sect. 4 n. 9; Palaus par. III tract. 24 n. 12; Sanctarellus de Jubilæo cap. 15 dub. 9 citans Pinellum; Gobat tract. 4, de Indulgent. par. II, c. 2, n. 275; Kazenberger loc. cit. n. 6, et alii. Vel debet intelligi quod illa additio indulgentiæ partialis ad indulgentiam plenariam fiat ad cautelam, ut scilicet simus certi causam indulgentiæ esse sufficientem saltem ad acquirendam illam partialem, si non

(92) Nonnullæ aliquando occurrunt indulgentiæ, quibus absolutio a pœna et culpa concedi dicitur. Verum card. Cusanus celeberrimus apostolicæ Sedis per Germaniam legatus in Magdeburgensi, quam coegit Provinciali synodo fidenter asseruit Sedem Romanam hæc in concedendis indulgentiis formula nunquam uti consuevisse. Quare præteritorum sæculorum quæstoribus tribuenda ea est, atque vel cum

totalem. Sic Reginald. lib. VII n. 149, post Cordubam et Valentiam; Gobat. loc. cit. n. 9, et alii.

(17. Indulgentia alia est perpetua, alia temporalis, alia indefinita. *Perpetua* est quæ expresse est concessa in perpetuum. *Temporalis* est quæ expresse est concessa ad certum solum et determinatum tempus. *Indefinita* est quæ indefinite est concessa, nulla temporis vel durationis mentione facta, et circa hanc notant, tum scholastici, tum summistæ apud Sporer loc. cit. num. 11, quod sit habenda pro perpetua, cum non sit major ratio cur indulgentia indefinita concessa pro tanto tempore intelligenda sit, et non pro majori; eo vel maxime quod, cum indulgentia sit favor et beneficium, potius ample quam stricte sit interpretanda; arg. cap. *Odia* 15 de Regul. juris in 6, ibi: « *Odia* restringi, favores conveni ampliari, » dummodo tamen non adsit aliqua lex et regula apostolica limitans, vel declarans, et terminans indulgentias hujusmodi indefinite concessas, quia tunc præsumitur quod pontifex indulgentiam concedat juxta consuetum curiæ stylum, ut recte advertunt Navarrus, Henriquez. Faber, Mastrius apud Kazenberger. loc. cit. n. 11.

(18. Indulgentia insuper, alia est localis, alia realis, et alia personalis. Indulgentia *localis* est quæ conceditur alicui pio loco, id est fidelibus aliquam determinatam ecclesiam seu capellam visitantibus, et in ea juxta expressa in formula indulgentiæ orantibus. Indulgentia *realis* est quæ conceditur rebus mobilibus ut coronis, crucibus, medallis et hujusmodi, id est, fidelibus tales res penes se devote habentibus, et opera præscripta ad indulgentiæ consecutionem peragentibus. Indulgentia *personalis* est quæ independentem a loco et re, conceditur directe et immediate alicui personæ, aut individua et particulari, aut communi et generali, ut toti religioni, aut communitati, ut eam lucretur ubicunque fuerit, vel in articulo mortis, vel quoties tale aut tale opus peregerit. *Omnnes*.

(19. Circa indulgentiam localem hæc veniunt notanda: 1. Si ecclesia, seu capella, totaliter destruat et non reedificetur, perit et cessat indulgentia, quia ipsa non erat concessa loco simpliciter, sed ecclesiæ, seu capellæ; Layman. lib. V, tract. 7 cap. 3 num. 5; Gobat tract. 4, de Indulgentiis part. II, capit. 6, n. 320; Kazenberger loc. cit. num. 14, et alii passim. 2. Si ecclesia totaliter destruat ut ibidem in meliorem formam reedificetur, seu ut auctoritate superioris in alium meliorem situm transferatur sub eodem titulo et patrono, retinet eandem indulgentiam. Glossa in Regula 7 juris in 6; In-

nonnullis theologis de remissione peccatorum *venialium* quoad culpam intelligenda, vel potius (quoniam valde dubia hæc sententia est nec sanioribus theologis principiis consentanea) de remissione temporalis pœnæ culpæ confessione expiatis debitæ, et, saltem quod ad aliquam partem spectat, pœnitentiæ in sacramento acceptæ. Confer Benedictum XIV de Syn. Diœces. lib. XIII, cap. 18, n. 7. (EDIT. BARBIELL.)

nocentius in c. 2 de novi operis Nuntiatione; Ludovicus Bologninus in tractatu de Indulgentiis n. 79; Antoninus p. 1, tit. 19, cap. 1, § 2; Layman l. c.; Kazenberger l. c.; Suarez t. IV, in III part. disp. 42, sect. 1 n. 9 et lib. VIII, de legibus cap. 5, in fine; Bonacina, et alii citati a Gobat. loc. cit. num. 320. Et ratio est, quia indulgentia non est concessa ratione situs et loci, ut supponitur, sed absolute ecclesie sub tali suo proprio nomine et titulo adhuc retento, licet in meliorem ritum translata, seu in meliorem formam reedificata: unde censetur adhuc eadem moraliter ecclesia. 3. Si ecclesia non totaliter destruat, sed tantum per partes, et paulatim reedificetur, retinet eandem indulgentiam; certum enim est sic manere eandem moraliter Ecclesiam, adeoque eandem perseverare indulgentiam; *Communis* cum supracitatis.

(20. Circa indulgentiam realem hæc notanda sunt: 1. Si destruat res in qua erat indulgentia, perit ipsa indulgentia. 2. Si crux, seu imago, cui est affixa indulgentia, ita frangatur ut non amplius referat speciem crucis, aut imaginis, cessat indulgentia. Non cessat tamen, si quod infractum est maneat et adhuc referat speciem crucis aut imaginis, aut partes fractæ seu disjunctæ denuo copulentur et compaginentur. 3. Si frangatur chorda, seu funiculus coronæ cui est affixa indulgentia, non perit ipsa indulgentia, sicut nec perit, quamvis penitus frangatur crucula coronæ, aut certa circiter pars granorum, pro quibus alii substituuntur, quia per mutationem chordæ, seu dictorum granorum, aut cruculæ non censetur mutata moraliter corona. 4. Si frangatur dimidia pars dictæ coronæ, indulgentia non remanet in parte integra, quia una solum dimidia pars non constituit coronam, aliter si corona divideretur in duas dimidias partes, ex una corona derent duæ, ambæ gaudentes sua peculiari indulgentia, quod nequaquam est dicendum, cum unica tantum indulgentia sit concessa pro tota Corona. 5. Ut aliquis, sive sanus, sive moribundus, lucretur indulgentias concessas crucibus, medaliis, rosariis, coronis et hujusmodi, debet crucem, medalliam, rosarium, coronam secum habere, secum portare, penes se habere. Non est tamen opus manibus tenere rem indulgentia affectam. 6. Nemo potest lucrari dictam indulgentiam realem utendo rosario, seu medallio alieno, corona, aut cruce aliena, et hujusmodi. Sic enim expresse decrevit Alexander VII die 6 Februarii 1657, anno secundo sui pontificatus decreto incip. *Sanctissimus*, relato ad litteram a Gobat tract. 4 de Indulgentiis part. II, cap. 37, n. 668, et Innocentius XIII, die 5 Jun. 1721 decret. incipiente *Nuper Sacra*, relato a Kazenberger in Appendice Alphabetica Bullarum verb. *Indulgentiæ*. Ita quoad supradicta communiter doctores cum Kazenberger. loco citat. num. 13; Gobat tract. 2 de Indulgent. cap. 14, a n. 387.

ARTICULUS II.

Indulgentia quoad ea, quæ concernunt aucto-

ritatem eam concedendi, personas, quæ possunt eam concedere, et lucrari, et requisita ad ipsam.

(1. Est de fide dari in Ecclesia catholica auctoritatem concedendi indulgentias, seu dispensandi thesaurum Ecclesie: habetur clare ex cit. extravagant. *Unigenitus*, de Pœnit. et remissionibus, inter Communes. Et est definitum in concilio Tridentino sess. 25, cap. 31, de Reformat. in decreto de Indulgentiis, ibi: « Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesie concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit sacrosancta synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, et præcipit eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. » Et hæc catholica veritas evincitur ex verbis Christi Matthæi XVI, ibi: « Tibi dabo « claves regni cælorum, et quodcumque « solveris super terram, erit solutum et « in cælis; » quæ verba Christus Dominus contulit B. Petro, et ejus in officio successoribus potestatem solvendi vincula peccatorum quantumcumque gravium, quibus correspondet pœna æterna, ergo multo magis pœnarum temporalium ex culpis jam dimissis relictarum per indulgentias.

(2. Summus Pontifex potestate a Christo accepta, adeoque de jure divino, potest concedere quibusvis fidelibus indulgentias, tum plenarias, tum partiales, tum perpetuas, tum temporales, tum locales, reales et personales, textu expresso in c. extravagant. *Unigenitus*; et patet ex adductis n. antecedenti, et est *communissima* inter catholicos cum S. Thoma in 3, d. 20, q. 1, art. 4; S. Bonaventura art. 2, q. 3; Barbosa de Offic. et potest. episcop. part. III, allegat. 88, num. 5; Layman, lib. V, tract. 7, cap. 5, num. 1; Kazenberger. loc. cit., n. 19. (3. Papa potest concedere tales indulgentias etiam ante suam consecrationem; hujusmodi enim potestas est Jurisdictionis et non ordinis; cap. *Quod autem de pœnit. et remissionibus*, et tenent communiter doctores cum Barbosa, loc. cit., num. 6; Kazenberger. loc. cit., n. 19; Gobat, tract. 4, de Indulgent. part. I, cap. 6, num. 54. (4. Papa solus potest concedere quibusvis fidelibus, sive vivis sive defunctis, quaslibet indulgentias. Unde nec concilium generale sine papa, sive hic vivat, sive sit mortuus habet talem potestatem: Suarez, disput. 55, sect. 1, n. 7; Bellarm., lib. I, cap. 11; Barbosa, loc. cit., num. 16; Layman, loc. cit., num. 1; La Croix, lib. VI, part. VI, n. 1317; Diana, part. X, tract. 6, resol. 12; Kazenberger, loc. cit., num. 19, ubi testatur de communi. Attamen Corduba de *Indulgentiis* qu. 10, proposit. 8; Henriquez, Navarr. et alii apud Barbosam loc. cit., n. 6, tenent quod concilium generale, vacante sede, jure divino indulgentias concedere possit.

(5. Inferiores papa, ut cardinales, legati, nuntii, patriarchæ, primates, archiepiscopi, episcopi, non habent potestatem concedendi indulgentias jure divino, sed solum jure ecclesiastico, scilicet ex concessione summi pontificis; ita S. Thomas, loco cit., art. 4, qu. 3; Richard., art. 5, qu. 3; Durand., q. 5 ad 2; Suarez, disp. 49, sect. 1, num. 14; Coninch, disp. 12, dub. 1, conclus. 4; Silvester, verb. *Indulgentia*, q. 5; Augustinus de Ancona, lib. de Potest. eccles., q. 29, art. 5; Layman, loc. cit., n. 1, assertion. 2; Kazenberger., loc. cit., n. 20; Bellarm., loc. cit.; Barbosa, loc. cit., num. 8 contra Sotum, Navarrum, Medin. Valent. et quosdam alios, quos citant, et improbant Bonacina de Sacrament., disp. 6, q. 1, punct. 3 num. 1; Sanctarellus de Jubilæo anni sancti c. 3, dub. 2, litt. B; Azorius, Institut. moral., p. 2, lib. III, c. 54, q. 2; Henrig. in Summ. lib. 7, cap. 31, § 3; Lavorius de Indulgentiis, part. II, c. 11, n. 45, tum sequent. et alii.

(6. Supradicti inferiores papa habent limitatam potestatem concedendi indulgentias; *Communis*. (7. Episcopi enim possunt solum concedere indulgentiam unius anni in dedicatione ecclesie, sive ab uno solo episcopo, vel a pluribus dedicetur, et in anniversario dedicationis, et aliis etiam casibus, et rationabilibus causis possunt concedere solum indulgentiam quadraginta dierum; *Communis*, textu expresso in cap. *Cum ex eo* 14 de Pœnit. et remissionibus in fin. ibi: « Decrevimus, ut dum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia extra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus episcopis dedicetur ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteris præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur. » (8. Tales indulgentias possunt episcopi concedere etiam in perpetuum, id est recurrentes omni anno; Lessius in Auth. verb. *Indulgentia* casu 1; La Croix, loc. c., num. 1319; Kazenberger, loc. cit., n. 20 et alii. (9. Tales indulgentias possunt concedere episcopi etiam non consecrati, aut ordinati, dummodo sint electi et confirmati, quia talis potestas est jurisdictionis, et non ordinis: *Communis* cum Barbosa loco cit., num. 7. (10. Episcopi possunt concedere indulgentias pro suis tantum subditis, licet extra diocesim existentibus, et per modum absolutionis, adeoque solis vivis; Kazenberger, loco cit., num. 20; La Croix, loco cit., num. 1320; Barbosa, loco cit. num. 23, 24 et 27, et alii ibi citati. (11. Episcopi possunt concedere indulgentias etiam pro religiosis, et locis exemptis; religiosi enim exempti possunt sicut alii lucrari indulgentias concessas ab episcopis, quia inducta in favorem non debent converti in eorum læsionem, et facta in augmentum non debent parere diminutionem; leg. *Quod favore*, cod. de Legibus, leg. *Legata inutiliter*, ff. de Legatis 1, cap. *Quod ob gratiam* 61 de Regul. juris in 6, ibi: « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non

est in ejus dispendium retorquendum; » Barbosa, loc. cit., num. 27; Bellarm. de Indulgent. lib. I, cap. 11, quæst. 3; Navarrus de Indulgentiis notabil. 31, num. 12; Ludovic. Bologninus, tract. de Indulgentiis, num. 93; Sanctarellus de Jubilæo anni sancti c. 3, dub. 2; Paludan. in 4, dist. 20, pag. 4, artic. 4; Reginal. Chochier., Alzed, Lavor, Bonacina apud Barbosam loc. cit. n. 27 et alii passim.

(12. Episcopi possunt facultatem concedendi indulgentias aliis delegare non solum sacerdotibus, sed etiam clericis; Barbosa, loc. cit., n. 10; Bellarm. de Indulgentiis, lib. II, cap. 11; Emmanuel Sa verb. *Indulgentia*, num. 16; Suarez, disp. 55, sect. 6, num. 6; Reginald. Valentia, Lavorius, Nugnus, Ugolin, Bonacina, Azorius, Alzedo, Torreblanca, citati a Barbosa, ubi supra n. 10; Kazenberger, loc. cit. num. 20; Lugo, Viva, cum La Croix, loc. cit., num. 1320, et alii communiter. (13. Hanc tamen potestatem non possunt episcopi delegare; et concedere laicis, cum laici jure humano removeantur a muneribus ecclesiasticis: ut post Jacob. de Graff. Suarez, et Reginaldum resolvunt Bonacina de Sacramentis, disp. 6, qu. 1, punct. 3, num. 12; Lavorius de Indulgentiis part. II, cap. 1, num. 49; Barbosa, loc. cit., num. 11. (14. Episcopi excommunicati, denunciati, seu vitandi, non possunt indulgentias concedere, quia excommunicati vitandi carent usu jurisdictionis; et consequenter invalida sunt ipsorum acta ad jurisdictionem pertinentia; c. *Tanta* 18, de Excessibus prælator. cap. *Pia consideratione* 1, de Exceptionibus in 6; Barbosa, loc. cit., num. 12, cum pluribus aliis ibi citatis. (15. Episcopi valide concedunt indulgentias, quamvis in peccato mortali existant, nec peccant secluso scandalo non præviso; peccatum enim mortale præcise non tollit jurisdictionem; *Communis* cum Barbosa, loc. cit., num. 13.

(16. Archiepiscopi, primates, et patriarchæ possunt in suis diocesis concedere indulgentias, quas concedere possunt episcopi in suis, et insuper in tota sua provincia, textu expresso in cap. *Nostro* 15, de Pœnit. et remiss. (17. Et quidem id possunt etiam extra tempus visitationis, nam cit. c. *Nostro* non loquitur de visitatione, ut illud legenti patet. (18. Nec obstat quod jam tales indulgentiæ fuerint concessæ a propriis respective episcopis, nam possunt nihilominus similes conferre archiepiscopi, primates et patriarchæ, ita ut quis simul lucretur indulgentias, et episcopi, et archiepiscopi, seu primatis, et patriarchæ; Suarez, disp. 55, sect. 2, n. 8; Gobat, tractat. 4 de Indu. g. cap. 6, n. 57; Rosella, num. 397; Barbosa, loc. cit., num. 16 et alii. (19. Imo secundum multos archiepiscopi, primates et patriarchæ possunt concedere indulgentias 80 dierum, ubi episcopi possunt solum 40; Barbosa, loco cit., num. 16; Azorius, part. II, lib. 3, cap. 55, q. 6; Alzedo, p. II, c. 3, num. 22; Lessius, Henriquez et alii.